



ISTITUTO NAZIONALE
DI STUDI ROMANI

PER.
LAT
020

BIBLIOTECA

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die. 20. Pretium subnotationis an. 1942—43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. — Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanárregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecunia dirigitur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 468-099)

Qua pietate homines Aquinci mortuos venerati sint.

Cuiusvis populi humanitas cultusque etiam e mortuorum religione clare apparent. Romani quidem mortuos quasi deos domum servantes summa pietate coluerunt et venerati sunt, quippe qui Penates penum¹ custodire et Lares, optimos deos, domus tranquillitati favere putarent, cum Lemures mortuorum animae esse viderentur, quae per terras ad homines malis afficiendos errarent.

At nos Romanorum antiquorum mores non aequo iudicio existimare consuevimus, cum Romanos tantum bellis, praedā epulisque,² praesertim imperii aetate, ingentibus provinciarum divitiis in Urbem influentibus, vixisse nobis persuasum sit. Nonnulli contra populum Romanum nimis laudibus extollunt, quasi ille perfectissimus omnium populorum fuerit, qui per saecula orti sint, aliquid humani auferentes, quod impedit, quominus ad eum propius accedere possint. Sed si quis quae vera Romanorum virtus fuerit, penitus intellegere velit, id est quid Romani cogitaverint et crediderint, quibusque animi motibus impulsi sint, verba, quae in monumentis inscripta sunt, interroget, ut Pompeiis maxime varii animi populi motus, verbis legendis, quae in do-

morum, villarum tabernarumque muris inscripta adspiciuntur, intellegi possunt.

Equidem Aquinci aliquid temporis in quadam via arboribus coronata moratus, ad cuius latera sarcophagorum series patet, de illis monumentis ac funebribus³ lapidibus³ mecum ipse cogitavi, tumque e tenebris ingens hominum praeteritorum multitudo de morte assidue meditantium et eos, qui e vita excesserant, memorantium surrexit. mortui enim viventium animos tristes squaloreque⁴ oppressos reliquerant. Itaque mihi illi antiqui homines ad me accedere meque humanitate quadam ac benevolentia alloqui velle visi sunt: modo quaedam mater terrae super filioli mortui corpus levis sit, orat atque orat, modo quaedam uxor a dis viri Manibus pacem vehementi corde petit, modo denique propinqui vel amici sunt, qui sepulcra in mortuorum memoriam exstruunt.

Undique vero eiusmodi sepulcra in viridibus pratis iacentia, in musei aulis⁵ silentio repletis posita et sub porticibus apparent. Sed illa via, quae a reliquis Aquinci ruinis seiuncta est, simplex et brevis, herbis fere omnino exuta, quasi hominis sensu praedita, tristis esse videtur.



Inscriptio sarcophagi, qui ante portam musei Aquincensis stat: D(is) M(anibus). M(arco) Calpurnio Decciano natione Italo mil(it)i leg(ionis) II. adi(utricis), qui vixit ann(is) XXI. III., m(ensibus) V., d(iebus) I. . . Calpurnius Eutropus fratri pien- tissimo.

¹ eleségkészlet = Vorrat an Lebensmitteln = comestibles ² lakoma = Festmahl = banquet ³ sírkő = Grabstein = pierre sépulcrale ⁴ gyász = Trauer = deuil ⁵ terem = Saal = salle

Illa autem monumenta ad mortem pertinentia Romænorum pietatem, qua eorum animi nitebantur, ostendunt, qui illud servabant: «Jura Manium sacra sunt».

At nonnulli homines sua ipsorum immanitate excitati, inscriptionibus deletis et vestimentis, gemmis alii que rebus, quae cum mortuis erant, ablati, ea sepulcra frugerunt et violarunt. Pompeiis autem mortuorum corpora contra mortem, quae ex improvise anno septuagesimo nono post Chr. n. evenit, inter cineres luctantia, de fatali casu nobis etiam nunc narrare videntur: in Via Appia sepulcra nos tristitia quadam ac maerore affecerunt, dum summae cupressi solis occidentis luce purpureae sunt: hic, Aquinci, lapides et inscriptiones in mediis illis ruinis e solo exurgentibus posita barbarorum historias nobis referunt, qui sepulcra profanata feritatis signum esse non intellegebant.

Sed hominum vita laetitia doloribusque miscetur: etenim inter has gemmas aureum balteum⁶ ante oculos habeo, quod graecis litteris inscriptum est et latine fere ita sonat: «Quidquid homines de me loquuntur, populi rumores contemno: amato: hoc te iuvabit», qui quasi vividus risus in pallidam mortis faciem iniectus resonat.

Aldo Marsili, doctor in scholis mediis italicis Bp.

⁶ kardszj = Wehrgehenk = baudrier

Astutia¹ Hungarica.

Scr. in actis diurnis «Nemzeti Ujság» *Guilelmus Politovszky*.
Conv. *Aem. Láng* (Keszthey).

«Cave, ne quid tibi accidat!» admonuit succenturio coquum varum,² cum ille ad aurigam consedit in trahea³ Russis erepta, cui Stephanus equos⁴ russeos⁴ adiunxerat.

— Cavebo nobis, domine succenturio. Nam excursores (= Partisani) nemini parcunt, ne optimo quidem coquo.

— Quod et ego certum habeo, respondit Födelmes fiduciae plenus. Sed hic nunc non sunt excursores, alioquin Russi panem mendicantes iam renuntiassent.

— Forsitan hodie non sint, sed facile fieri potest, ut cras iam adsint.

— Ita, domine succenturio. Cavebimus omne periculum. Sclopetum⁵ nunquam de manibus deponemus.

— Recte ageris. Semper secundum viam ferratam et filum⁶ telegraphicum⁶ eati, tunc non aberrabit. Agedum procedite!

Equi pingues ab auriga Stephano excitati flagris⁷ hinc atque inde resonantibus⁷ pigre se movebant. Superioribus enim mensibus equi minime exerciti, quia magna copia pabuli suppetebat, perpasti nitebant. Laute procedebant secundum ferriviam nivibus⁸ obrutam ad oppidum proximum, ut alimenta sequentis mensis acciperent, quia commeatus⁹ ferriviarius⁹ propter nives interclusus erat. Equis, qui primo onus traheae lævis silenter prolabantis vix sentiebant, tantummodo locis cavis, in quibus nix altior atque densior erat, ad iugum contentius annitendum erat. Stephanus vocibus exhortativis eos stimulabat et flagro tunc tantum usus est, cum labor eis iam intolerabilis esse videbatur et consistere malebant, quam procedere.

«Callidissimi homines sunt Russi,» dixit archimagirus,¹⁰ cum vivam¹¹ saepem¹¹ pineam praeter

ferriviam consitam aspiciebat, quae partem septemtrionalem limitis¹² ferrati¹² a vento¹³ nivali¹³ tuebatur. Nives, quae sub veteribus pinis inter novellas¹⁴ accumulatae erant, viam ferratam totam obruissent, ni densa saepes pinea impedivisset. In augustiis¹⁵ autem tanta copia nivis exaggerata erat, ut bigae nives aegre eluctatae¹⁶ sint. Equi vaporabant, homines clamabant, vicissitudines fortunae tantummodo trahea lente¹⁷ tulit.

— Quid nunc faciamus? quid? dixit Födelmes, cum novas augustias praeceptis lateribus inclusas videret. Etiam ventus usque increbrescebat et nivem vehementi vi converrit ferebatque in augustias nivibus iam satis superque oppletas. — Timeo, ne vestigio¹⁸ haereamus.¹⁸

— Habemus vatillum,¹⁹ respondit Stephanus, quo nivem tollemus, si opus erit.

— Dummodo ne excursores improvise nos opprimant, cum toti in nive erimus.

Equi interim ad impedimentum advenientes per se constiterunt. Ambo de trahea descenderunt. Stephanus vatillum ex alta trahea conquisivit inque volam²⁰ spuit.

— Ego ascendam in fastigium et circumspectabo, dixit Födelmes; simulque viam ingreditur regione²¹ meridiana, ubi paulum nivis iacebat.

Repente ambo obstupuerunt: «O mi Deus, quid hoc?» Terribilis fragor et strepitus audiuntur, nives in augustiis fluctuare coeperunt, dein discinduntur et uti diabolus ex pluma,²² ita proruit locomotrix nigra cum aratro²³ nivali (= niverribulo²³) directe adversus equos metu perterritos.

(Continuabitur.)

¹ furlang = Pffiffigkeit = astuce ² górbetábú = krummeinig = cagneux ³ szánkó = Schlitten = traîneau ⁴ sárga ló = Fuchs = alezan ⁵ puska = Büchse, Flinte = fusil ⁶ táviródrót = Telegraphendraht = fil télégraphique ⁷ ostorcsattogás közt = unter Peitschenkmal = claquement du fouet ⁸ hótömegek = Schneemassen = masses de neige ⁹ vasúti forgalom = Eisenbahnverkehr = trafic ferroviaire ¹⁰ főszakács = Oberkoch = chef de cuisine ¹¹ élősövény = lebendiger Zaun = haie vive ¹² vasúti sín = Eisenbahnschienen = rail ¹³ hóföregtet = Schneegestöber = blizzard ¹⁴ csemetefa = Setzling = jeune sujet ¹⁵ mélyút = Hohlweg = défilé ¹⁶ kivergődni (a hóból) = sich emporringen = se frayer péniblement un chemin ¹⁷ közönyösen = gleichgültig = apathiquement ¹⁸ elakad = stecken bleiben = être bloqué ¹⁹ lapát = Schaufel = pelle ²⁰ tenyér = hohle Hand = creux de la main ²¹ irány = Richtung = direction ²² dunyha = Tuchent = édreton ²³ hóke = Schneepflug = chasse-neige

De speculatoribus

(4)

Narratiunculæ temporis aptae. Convertit: *J. Guelmino* Bp.

4. Etiam puer speculator est. Anno 1916, in Volhynia accidit, ut post victoriam nostri pago quodam potiti¹ sint.¹ Neminem ibi vivum invenerunt, nisi nonnullos canes, felesque.² Inciderunt tamen in puerum 10—12 annos natum, quando tecta perscrutabantur.³ Puer captus amare flens enarravit patrem in exercitu bolsivistarum mereri⁴ stipendia,⁴ matrem amissam esse, se sine ulla tutela et victu remansisse. Hic casus tristissimus tantopere commovit milites, ut illum ad se reciperent,

¹ occupaverint ² macska = Katze = chat ³ átkutat = durchsuchen = fouiller ⁴ katonai szolgálatot teljesít = Kriegsdienst tun = être en service commandé

pro pannis⁵ veste induerent et ille victum cotidianum acque ac gregarii⁶ ex culina⁷ mobili acciperet. Milites omni modo fovebant⁸ hunc orbem⁹ patre matreque carentem, miserulum. Die autem quodam hic orbis ex oculis eorum elapsus, quamquam ubique quaerebatur, nusquam inventus est. Post hebdomadas nonnullas miles quidam noster, ut erudiretur, ad quandam manum¹⁰ selectam¹⁰ missus, ibi hunc ipsum invenit puerulum, quem manus tota fovet, mulcetque, aequae ac prius nostri orbem miserulum. «Quomodo hunc invenistis?» interrogat eos. Et enarratur eadem historia tristis, quam ille iam noverat. Et re ad praefectum delatā puerulus a praefecto sic acceptus est: «Tu, puer, speculator es». Et furcifer¹¹ ille diutius interrogatus se iussa fecisse professus est. Iam puer speculator fuit.

⁵ rongy = Lappen = lambeau ⁶ közkatoná = gemeiner Soldat = troupiér ⁷ konyha = Küche = cuisine
⁸ dédelget = liebkosten = dorloter ⁹ árva = Waise = orphelin
¹⁰ rohamcsapat = Sturmabteilung = troupe d'assaut ¹¹ akasztófávirág = Galgenstrick = gibier de potence

5. Lucerna¹ datur signum. Nox aterrimā incubat Galiciae. In pago quodam milites nostri sunt collocati. Silentium et quies ubique, manus tota dormit, quia postridie magna saltatio exspectatur. Tantum excubiae² vigilant ubique. In pago extremo decurio quidam, nomine Balázs, est praefectus³ excubiarum. Excubat cum 8 militibus. Et iam tertium custodem producit in stationem et iam tertius nuntiat custos decedens de statione se nihil insolitum sensisse. Sub noctem autem mediam custos, nomine Kis, se aliquid suspiciosum vidisse nuntiat. In casa quadam parva pagi fenestra nonnunquam⁴ lucida facta est. Tunc decurio sibi duos milites assumens, intente observat casam illam suspiciosam. Et ecce vere e fenestra lux ordine certo emicat,⁵ exstinguiturque.⁶ Signa dantur, sine dubio. Et tunc decurio caute, ut pardalis praedae avida usque ad casam prorepens et ianuā puncto temporis effractā iam in cubiculo est et rusticum senem Russum surripit⁷ ibi lucernā signa dantem. Eum vincitis manibus abducendum curavit ad stationem, ipse vero, ut omnia perscrutaretur, remansit in casa. Et bene suspicabatur, quia scidulam⁸ invenit litterarum numerorumque plenam, sed quid significaret, solve non potuit. Res brevissime explicata est: Rusticum senem Russi cum lucerna et abecedario⁹ notarum¹⁰ secretiorum¹⁰ reliquerunt, ut sic nuntia-ret iis, quantum militum nostri acciperent et ubi impetus pararetur.

Continuabitur.

¹ lámpás = Lampe = lampe ² őrség = Wache = garde
³ parancsnok = Kommandant = commandant ⁴ időnként = zuweilen = de fois à autre ⁵ felvillan = hervorblitzen = briller
⁶ kialszik = erlöschen = s'êteindre ⁷ nyakoncsípi = erwischen = surprendre ⁸ cédula = Zettel = bout de papier
⁹ alphabetum ¹⁰ rejtjel = Geheimschrift = chiffres

In memoriam amici in Russia mortui.

*Patria misit eum, defenderet omnia cara;
In bello pugnans fortiter oppetiit.
Corpus sanguinolentum excepit terra aliena:
Signat casside nunc lignea crux tumulum.*

Scriptis in Russia dr. phil. Stephanus Helmecki.
Num. cursus publici (= postae) castrensis: 253/50.

Nuntii recentissimi.

Nuper celebratus est dies natalis 80-us unius ex maximis poëtis Germaniae: **Gerardi Hauptmann**, qui a. 1862 in oppido Silesiano Obersalzbrunn natus Vratislaviae¹ scholam frequentavit, deinde artem² signa² fabricandi² docebatur. Sed mox reperto ingenio suo poetico a. 1889 scripsit drama primum: «Ante solem occidentem» intitulatum, sed consilium³ socialismo³ assentiens³ in urbe Berolino auditoribus displicuit. Vestigiis Ibsenii ingressus duo dramata familiaria scripsit: «Festum pacis», «Homines solitarii», a. 1892 demum fabula «Textores»⁴ nomen eius repente clarum fecit. Similiter populares erant comoediae: «Collega Crampton» et «Pellis⁵ castorea»⁵, nec non drama poëticum «Hannele», sed successum maximum theatralem «Campana submersa» habuit. Inopiā spatii non possumus enumerare multa opera eius. Guilelmo II-o Imperatori Germaniae haud carus erat propter opiniones, quae tum audaces esse putabantur, sed scriptores acceperunt eum ducem. A. 1912 praemio Nobeliano, 60 autem annos natus a praeside Germaniae, signo laudis maximae: clipeo aureo donatus est.

Mense Octobri celebratum est centenarium anni, quo maximus pictor Russorum: **Basilius Verestsagin** genitus est. Iam in schola militari pictor fieri voluit. Artem pingendi in academia Petropolitana, deinde a pictore Parisiano Gérôme didicit. Libentissime spectacula⁶ bellica pinxit. Quare aderat a. 1867 bello Turcestanico, a. 1874 in Indiam profectus est, a. autem 1877 comes ducis generalis Scobelev res in bello Turcico-Russo gestas observabat. Iam prima pictura, quae inscribitur: «In saltu⁷ Sipka omnia placida sunt» veritatis⁸ imitatione⁸ totam Europam admiratione imbuit: miles in custodia stans nivibus obrutus atque vi frigoris exanimatus atrocitatem belli ad oculos demonstravit. Picturas suas non solum in pinacotheca⁹ Tretjaco-via Moscoviensi, et in Museo Alexandrino Petro-



Verestsagin: Næpoleon Moscoviae in arce Kreml.

¹ Boroszló = Breslau ² szobrászat = Bildhauerkunst = art sculptural
³ szocialista irányzat = sozialistische Tendenz = tendance socialiste
⁴ takácsok = Weber = tisserand
⁵ (hódprémes) bunda = Biberpelz = pelisse de castor
⁶ jelenet = Szene = scène
⁷ szoros = Pass = défilé
⁸ vulgo: realismo
⁹ Képtár = Gemäldesammlung = galerie

politano exposuit, sed etiam ceteris in urbibus Europae, sic Budapestini quoque. Picturarum eius clarissimae sunt: *Pyramis calvarum*,¹⁰ *Indi rebelles ab Anglis morte*¹¹ *multantur*,¹¹ et variae scenae ex bello a Napoleone contra Russos gesto. Etiam imago nostra Napoleonem in arce Kreml incensa ostendit. Mors quoque pictoris similis fuit picturis eius: ante Portum Arturium in bello Russo—Iaponio Idibus Apr. a. 1904 una cum navi bellica «Petropavlovsc» tormentis¹¹ hostium dirupta¹² in mari mersus est.

Hugo Rác disc. Makonensis.


¹⁰ koponya = Schädel = crâne ¹¹ kivégez = hinrichten = supplicier ¹² ágyú = Kanone = canon ¹² felrobbant = explodieren = exploser

Aladarus Friml 1864—1943.

Iterum luctu atque maerore IUVENTUS affligitur, nam etiam ultimus virorum, qui ephemeridem nostram a. 1910 condiderunt, de vita decessit. Aladarus Friml non solum classicae philologiae, sed etiam paedagogiae peritissimus erat, quam ob rem a. 1918 in ministerium institutionis publicae, ut munere referentis¹ fungeretur, translatus est. Duo per decennia vicarius praesidis Societatis Paedagogicae, socius honorarius Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum, cuius ephemeridi «Magyar Középiskola» diu moderator praerat, pro meritis singularibus a Gubernatore nostro titulo rectoris superioris regii et Civico Signo Laudis ornatus est. Liber scholasticus Livianus, translatio *Rationis Educationis*, opuscula innumera in nostra aliisque ephemeridibus edita non sinent evanescere nomen viri docti, qui paulo ante mortem de sua cara IUVENTUTE commentariolum² ultimum scripsit, qui tamquam cygnea³ fuit eius vox.³ Aladare carissime, vale in aeternum Sit tibi terra levis!

Expositio⁴ **typographica**⁴ Budapestinensis plus 1200 ephemerides collegit. Spectatores maxime antiquissimam ephemeridem a. 1705 a Francisco Rákóczi principe, ut etiam extra Hungariam ubique intelligi posset, latine editam admirati sunt, quae inscribitur: MERCURIUS VERIDICUS. Etiam exemplaria IUVENTUTIS expositae erant et in numero ephemeridum iuventutis, et inter ephemerides catholicas.

Edvinus Linkomies dr. prorector professorque Universitatis Helsinforsanae in Societate *Parthenon* perutiles scholas⁵ de Finnis in Germania Taciti



Edvinus Linkomies prof. et Iulius Szekfű decanus facultatis philos. Bpest.

habuit.⁵ Auditorum eruditorum multitudo intenti ora tenebrant⁶ et dissertatione finita longo applausu professorem doctissimum honoraverunt, qui etiam vicepraeses est domus legislatoriae fratrum nostrorum septentrionalium, Finnorum, qui nunc aequae ac nos pro vita et libertate pugnant cum Russis bolsevistis atheis.⁷

Nuntii bellici. Post tot tantasque victorias nuper etiam Germani cum sociis recesserunt, quia Russi caligine densa usi ingenti multitudine collecta



Militibus Germanicis nostrisque castra multiangula instar erinacei (sündisznó = Igel — hérisson) in Russia munimenta praebent.

aciem Germanorum perruperunt. Defensores urbis Stalingrad eadem qua Leonidas fortitudine intrepida se⁸ ipsos⁸ periclitantes⁸ noluerunt se hostibus dedere, sed diu sustinentes impetum exercitus decies tanti, dum Germani sociique nova munimenta exstruerent, paulatim omnes duces militesque ad unum ceciderunt. In Africa Angli Tripolim relictam obsederunt, sed ceterum Germani Italique in Tunesia feliciter pugnantibus impetum Americanorum reppulerunt, navibus autem submarinis tot naves hostiles demergunt aut destruunt, ut Angli Americanique in dies magis magisque inopiam navium sentiant.

¹ előadó = Referent = rapporteur ² cikk = Artikel = article ³ hattyúdál = Schwanengesang = chant du cygne ⁴ sajtókiállítás = Presseausstellung = exposition de presse ⁵ előadás tart = Vortrag halten = faire une conférence ⁶ Verg. Aen. II. 1. ⁷ istentagadó = Atheist = athée ⁸ önfeláldozóan = selbstaufopfernd = dans un esprit de sacrifice

Val. Balassa: Carmen poculatorum.

Flante te molliter, aura veris,
metientes arduum iter levantur,
rosa pandit, guttura cantibusque
lusciniarum
te canunt, laudant violae atque rivi,
nutriente gramine roscido te
ipsi equi laetantur et arcis alter
egregiorum in
poculis una socio suo, alter
pervagans lata arva odorata circum.
Gratia diva ecce hilaremur, ut nunc
omnia et omnes!

In metrum Sapphicum convertit
Robertus Frankl disc. Mátyásföldiensis.

LECTORIBUS MAIORIBUS

Commercium litterarum.

Sua Excellentia Chr. Kelemen archiabbas Ordinis S. Benedicti et Albinus Szalay dr. rector gymnasii Praemonstratensis has quae sequuntur epistulas ad moderatorem mittere dignati sunt.

I. Illustrissime Domine! Care amice! Digneris concedere, ut pro caris gratulationibus occasione honoris, quo de summo loco ornatus sum, etiam nomine aestimatorum sociorum laboris tuorum mihi factis singularibus tibi verbis gratias agam. Vicem reddens toto pectore Tibi cunctisque sociis tuis copiosam Omnipotentis benedictionem peto. Gratias tibi praeterea ago maximas pro dolore tuo intimo, quem etiam nomine sociorum declarasti confratre meo Elia Kelemen S. rectore provinciali studiorum superiore regio mortuo. In tanto luctu nostro solacio est nobis aegritudinis societas omnium, qui personam et industriam cari nostri confratris magno aestimabant. Gratiā habeo, quod IUVENTUS carum meum confratrem iure veteris necessitudinis etiam pro sua parte luget, et consolatur me conscientia communis luctus consociati. Ut gratias etiam meis verbis agas rogans persisto tibi, Domine illustrissime,

reverenter deditus

In Monte Pannoniae, die 12 m. Ian. 1942.

Chrysostomus Kelemen.

II. Carissime Domine! Quod in ephemeride «Iuventus» intitulata sollemnium semisaecularium nostri gymnasii memineras, non tantum humanitatem, sed in primis tuam erga nos amorem agnovi. Quam ob rem summas tibi gratias ago petoque, ut in eadem amicitiae familiaritate ac consuetudine porro permanear. Salve atque vale!

Tibi addictissimus

D. Keszthelyini IX. Cal. Febr. 1943.

Albinus

De IUVENTUTE.

In ephemeride «Új Idők» Emericus Trencsényi—Waldapfel haec de nostra ephemeride scribit: *Commentarii de 25 annis IUVENTUTIS.* Iuventus, ephemeris Hungarica a primis verbis usque ad extrema Latine conscribitur. Quae cum prima initia ceperat — nomine ipso teste — solum iuventuti studiosae in lingua Latina discenda auxilio esse voluit. Quod venerabile propositum paedagogicum ne hodie quidem postpositum est, attamen partim moderator ephemeridis, Ios. Wagner consiliarius superior rei institutoriae, partim vero editrix Societas Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae *Iuventutem* etiam signiferum *actionis neolatinae* toto orbe celeberrimae destinant.

Quid sit actio neolatina? Quod hanc rem spectat, Ios. Wagner libro memoriali separatam adiungit dissertationem, e qua plurimos eosque honestissimos reperiri cognoscimus, qui ad usum commercii internationalis pro linguis auxiliaribus artificiosis linguam vernaculam Europae communem, sc. Latinam in iura pristina restituere vult. Ad hanc mentem propagandam *Iuventus* eo magis quasi nata esse videtur, quia etiam terris externis multos habet lectores. Consideremus, quam maximi sit momenti de re quoque nationali, quod toto orbe amici linguae Latinae, magistri aequae ac discipuli legunt ephemeridem, quae in Hungaria, animo Hungarico, assidue constanterque prae-

dicando conatus Hungaricos paratur. *Iuventus* suis instrumentis modestis, inprimis per scholas, ad id confert, ut operibus litteraturae Hungaricae etiam animi exterorum resonent. E. g. scriptum sollemne Francisci Herczeg, cui *Legenda diurnarii* inscribitur, et — sicut etiam nonnulla poemata Danielis Berzsenyi, Michaelis Vörösmarty, Alexandri Petöfi necnon Ioannis Arany, — ipsum quoque latine redditum in *Iuventute* publici iuris factum est, quandam Batavam puellam studiosam excitavit, ut legendae continuationem, voci facetae ac eleganti legendae excellenter accomodatam conscriberet. Puella Batava in continuatione legendae de morte diurnarii haec refert: nec S. Petrus in caelum, nec Charon in inferos accipere vult illum, «qui non vixit», sed semper tantum de vita aliorum rettulit. At diurnarius de salute sua non desperans hic et illic chartam diurnarii sibi comparat, et nunc inferos de rebus gestis caelicolarum certiores facit, nunc caelestes quid novi apud inferos sit referens oblectat.

Etiam his verbis perpaucis strenuum *Iuventutis* laborem describi posse arbitramur, cuius in negotiis scholarum versati iam dudum notitiam habent ac magni aestimant, quique vere dignus sit animadversione plurimorum.

In Latinum convertit Ioannes Jeney dr. Sch. P. (Vác)

Peregrinatio ad Patres Praemonstratenses Goedolloenses.

Haec regio multos hominum attrahit undique semper.

Si quaeris causam, accipies breviter.

Huc venit Hungariae rex aut princeps, recreare fessum animum si vult; invenit hic requiem.

Ad Mariae templum permultis prodigiis iam adperegrinantur nobilitatum homines, nam mater Christi Besenensis accipit omnes: perjugium praebet tristibus ac miseris.

Ante decennium exploratores posuerunt in campo viridi undique gentium huc castra aestiva sua advenientes: non fuit unquam Carior Hungaria tot simul hospitibus.

Saepe manus data atque accepta est tum sine ira et studio, nam pax unificavit eos.

Horrida tempestas belli furit, alter homo nunc intolerabilior atque homini lupus est.

Non pietas, non ulla fides valet, arma gerit nunc orbis terrarum; pyroboli volitant

non solum in pugna, etiam urbibus igneum imbrem pacatis vomunt et puerosque senes per somnum insontes crudeliter atque dolose occidunt multos illacrimabiliter.

Quae cum ita sint, nos tristitia affecti fugere ad vos constituebamus: vos penes est pietas, namque fidemque viam virtutis vos colitis, sic est omen nomen; cognitum omnibus hoc.

Vos praemonstratis viam et pietatis exemplum discipulis vestris. Nos quoque discipuli

nunc erimus vestri, vestrum est ostendere factis, qua ratione igitur vivere oporteat aut

quid facere et vitare necesse sit omnibus illis, qui Christo et patriae dedere omne volunt

aevum. Talia nos docuistis. «Sic benedictus hic ordo atque domus!» grato animo inquitur hoc.

Die 8 m. Dec. 1942.

J. Wagner.

Librorum recensio.

Moravesik Gyula: A papiruszok világából (Ex papyris Aegyptiis) Parthenon. Budapest 1942. Pag. XXXI+301. Pretium pengoe 15. Ut quondam vastis inscriptionum et Graecarum et Latinarum corporibus editis et perscrutatis rebus gestis, moribus, institutis, consuetudinibus antiquorum temporum cognoscendis clarissima et uberrima affulsit lux, ita ex chartis papyraceis ex visceribus terrae immo ex sterquilinis fere semisaeulo ante eructatis nova exstitit et egerminavit papyrologiae, quae vocatur scientia. Multa papyrorum Aegyptiarum milia, quae scrutandi curiosa doctorum virorum cupiditas ex abditissimis locis effudit, cotidianorum ac tenuiorum hominum actiones et curas declarant: «quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas, gaudia discursus harum farrago papyrorum est». Ex his multis papyrorum milibus Iulius Moravesik centum quinquaginta sagaci ita elegit delectu, ut ab antiquissimis temporibus id est ab a. 311. a. Chr. n. usque ad dominationem Arabum id est usque ad a. 710 p. Chr. n. papyri in multigeni varietate exhiberentur, quas quidem Hungarice tam sollerter interpretatus est, ut uniuscuiusque papyri habitus, indoles et stilus proprius in interpretatione Hungarica evidenter perluceret, prooemioque instruxit et ornavit tali, in quo omnia, quae ad papyros spectant, scitu digna exponerentur, siquidem narrationis perspicuitate descripsit, ut papyri ex tenebris multorum saeculorum erutae atque a doctis viris collectae, elaboratae et explicatae essent, quomodoque in Aegypto ab Alexandro Magno dicioni suae subiuncta lingua Graeca Graecaeque litterae paulatim radices egissent incrementaque haud parva cepissent. Postquam quam fortunam Aegyptus inde a Ptolomaeorum dominatione usque ad Arabum irruptionem subisset, rettulit, de lingua Graecorum vulgari, quam dicunt, *κοινή* disseruit in extremaque denique prooemii parte, editiones papyrorum enumeravit. Omnibus papyris cum Graecis tum etiam in Hungaricum conversis, ut omnes intelligendi difficultates tollerentur, adnotationes adiectae sunt. In fine libri locorum et regionum nomina et situs indicantur. temporum ratio Aegyptia, monetae et metra, quae in papyris leguntur, breviter explanantur. Index accuratissimus res, quae in translatione Hungarica tanguntur, complectitur. Forma et facies librorum a Parthenone editorum est nitidissima. Hoc libro perutili perque iucundo divulgato vix dici potest quam bene Iulius Moravesik de cognoscendis papyris, quarum notitia apud nostrates perexigua erat, meruerit. Pro opera sibi ipsi quidem laboriosa, sed nobis gratissima grates non possumus referre pares.

Car. Acs Bp.

Vitéz Temesy Győző dr.: Földrajzi zsebköny. 1943. A Magyar Földrajzi Társaság kiadása. Budapest. Pag. 240. Pretium 2.40 pengoe. — Secretarius generalis Societatis Geographicae Hungaricae iterum perutili libro, cuius tamen pretium valde parvum est, donavit amicos geographiae. Prima pars libri quaestiones terrae hungaricae temporis aptas tractat, e. c.: Memoriam Alexandri Csoma de Körös et Antonii Reguly, problemata lacus Pelsonis (Balaton), confinia Hungariae quae nunc sunt, mutabilitatem temperatae hungaricae, historiam Budapestini, gentes recuperatae regni S. Stephani, etc. Deinde de externis quaestionibus temporis aptis disseritur, e. c.: de bello Europae contra Russiam Sovieticam, de locis pugnae orientalis, de Sibiria, de America, de paeninsula Haemo (= Balcan), de discordia orbis terrarum, de aedificiis terrae motui resistentibus, etc. Theoria et doctrinae geographiae (auxilio pellicularum seu filmorum), postremo tabellae statisticae claudunt libellum, cuius auctores peritissimi huius scientiae sunt (E. Baktay, Eu. Cholnoky, Fr. Fodor, A. Rónai, M. Haltenberger, Au. Hézszer, L. Bodnár, L. Geszti, etc.). Usque adhuc iam plus 10 milia huius libri dividenda esse quis miretur?

LECTORIBUS MINIMIS.

locosa.

1. Necroscopus¹ in testimonio mortis sub titulo (= rubrica): «Causa mortis» inscribit: Fustus.² Sub rubrica «Animadversiones»³ haec scribit: Nihil animadvertit.

2. In penso cuiusdam discipuli magister haec enuntiationes⁴ invenit: «Et postremum ad tilias⁵ Ioannis Arany imus, ubi clarus poeta noster in insula Margaretha toties quiescebat. Oh, si hae tiliae vocem emitterent!» Magister haec adnotavit: «Si hae tiliae vocem emittere possent, prima vox earum haec esset: Veniam⁶ ignoscendi⁶ petimus,⁶ sed nos quercus sumus.»

Lad. Versényi disc. Cisterc. (Baja).

1. Medicus: Quo⁷ morbo⁷ laboras?⁷ — Aeger (= patiens): Oculis⁸ non⁸ satis⁸ prospicio.⁸ — M.: Incredibile est. Oculi tui salvi sunt. — Ae.: Videsne, domine, illum clavum⁹ parvum apud fenestram? — M.: Video. — Ae. (triumphans): Sed ego non video! Ergo verum dixi.

2. Discipulus: In poësi Michaëlis Vörösmarty non solum unus nervus¹⁰ vocem mittit, sed etiam... sed etiam... — Magister: Sed etiam quid? — D.: Sed etiam... symphonia tota.

Carolina Huszár disc. Csurgonensis.

1. Consiliarius¹¹ quidam in parte Americae occidentali, admirationis¹² causa, nuntium promulgandum¹³ curavit,¹³ quo omnes ad Carolum Chaplin imitandum, magnis praemiis propositis, invitati sunt. Inter quos aderat etiam Chaplin ipse nomen¹⁴ suum¹⁴ dissimulans¹⁴ et arbitrans neminem melius Chaplin imitari posse. Et quid accidit? Praemium quartum accepit, nam iudices¹⁵ praemiorum¹⁵ unā voce tres alios imitatores meliores indicaverunt, quam ipsum Carolum Chaplin.

2. Maria octo et Joannes novem annos natus est. In curru¹⁶ ferriviario¹⁶ sedentes spectant fila¹⁷ telegraphica, quae secundum viam ferratam ducuntur. «Scisne, quid¹⁸ sibi¹⁸ velint¹⁹ haec fila?» interrogat sororem Joannes. — «Certe viam ferratam defendunt», respondet soror. — «Erras, ridet frater, haec fila nihil defendunt, nam fila sunt telegraphica. Si quid necesse est velocissime nuntiare, his filiis¹⁹ telegraphice¹⁹ nuntiatur.»¹⁹ — Ita est vere?» interrogat Maria matrem. — «Ita est», respondet mater. — «Sed cur non ducuntur etiam ab altera parte fila?» interrogat filiola. — «Quia non necessarium est», respondet mater. — «Ha, ha, hae, ridet puer, tu quoque erras, nam ab altera parte sine filo nuntiatur.»

Gabriel Horváth disc. gymn. Acad. Bp.

¹ halottkém = Totenbeschauer = médecin des morts
² füttykös = Knüppel = gourdin ³ recte: adnotationes
⁴ mondat = Satz = phrase ⁵ hársfa = Linde = tilleul
⁶ bocsanatot kér = um Entschuldigung bitten = demander pardon ⁷ mi a baja? = was fehlt Ihnen? = qu'avez vous?
⁸ rövidlátó = kurzsichtig = myope ⁹ szeg = Nagel = clou ¹⁰ húr = Saite = corde ¹¹ tanácsnok = Rat = conseiller
¹² vulgo: sensatio ¹³ közhírré tesz = verkündigen = proclamer ¹⁴ vulgo: incognito ¹⁵ versenybírótság = Preisrichter = jury
¹⁶ vasúti kocsi = Eisenbahnwagen = vagon ¹⁷ huzal = Draht = fil ¹⁸ mire való = wozu gehört (das) = à quoi bon ¹⁹ megtáviratozni = telegraphieren = télégraphier



Pittacia croatica. Pittacia croatica imaginibus urbium, locorumque ornata sunt, quasi exprimere velint verba, quibus incipit hymnus nationalis croaticus, scilicet: O pulchra nostra patria! 1. 0.25 kuna: Castellum Ozalj, quod olim comites Zrinjski possidebant. 2. 0.50 kuna: Jajce in Bosnia: aquae cadentes fluminis Pliva. 3. 0.75 kuna: Vetus arx in Varazdin, (latine: Varasdinum), in qua nunc museum urbis invenitur. 4. 1 kuna: Montes saxosi Velebit. (1800 m.) 5. 1.50 kuna: Vallis «Zelenjak», ubi poeta Mihanovic hymnum nationalem croaticum cecinerat. 6. 2 kuna: Ecclesia cathedralis in urbe Zagreb, (lat. Zagrabia), capite totius Croatiae. 7. 3 kuna: Ecclesia parochialis in Osijek (tempore Romanorum Mursa appellabatur). 8. 4 kuna: Flumen Drina, (lat. Drinus), Croatiam a Serbia dividens. 9. 5 kuna: Konjic in Hercegovina, quae regio pulcherrime croatice loquitur. 10. 5 kuna: Urbs Zemun, (tempore Romanorum: Taurinum). 11. 6 kuna: Dubrovnik, (lat. Ragusa), vetusta urbs dedicata Sancto Blasio, ubi per nonnulla saecula litterarum artes atque studia valde florebant. 12. 7 kuna: Slavonija (lat. Slavonia), regio inter flumina Dravum et Savum pulcherrimis silvis abundans. 13. 8 kuna: Sarajevo in Bosnia urbs multorum templorum islamiticorum. 14. 10 kuna: Plitvicka Jezera, (Lacus Plitvicenses) in Lika. 15. 12 kuna: Oppidum Klis in Dalmatia, olim propugnaculum christianitatis contra Turcas. 16. 20 kuna: Hvar, insula Maris Adriatici, iam quarto saeculo a. Chr. natum colonia Graecorum. (Pharos). 17. 30 kuna: Puella messoria e frumentaria regione Srijem (latine: Syrmium). 18. 50 kuna: Castellum Nehaj in urbe Senj, (lat. Senia), patria heroum Usocchorum. — Haec sunt principalia pittacia, quae INDEPENDENS REGNUM CROATIAE (croatice: NEZAVISNA DRZAVA HRVATSKA) edidit.

Stephanus Kropek Zagrabianus.

Quomodo Americani laudes²⁰ mereium praedicent.²⁰ P. C. Wren in ephemeride «The mysterious Way» descripsit hanc iocosam commendationem. Decem milia litterarum²¹ circularium²¹ dimissa sunt his verbis: «Tu pecuniam tuam recipies, si tantum unum verbum recusas, quod in hoc magnifico, delectationisque pleno libro est. Res gestae obscae²² antiquissimarum nobilissimarumque familiarum. Monitus divini. Oracula vera. Hic liber omni, iuvenique senique legendus est. Verba omnia veritates purissimae sunt. Omnis civis eruditus Americanus debet hunc librum habere. Nos in involuero²³ clauso, cum adnotatione: «Severe familiare²⁴, dimittimus librum. Huius libri innumerabilia exemplaria per totam Europam vendita sunt... Reges, praesides rerum publicarum, principes regnorum ecclesiarumque emerunt et legerunt librum, cuius pretium tantum 5 thalorum²⁵ est.» Permulta milia hominum miserunt hos 5 thaleros. Et vile exemplar librorum²⁶ foederis²⁶ quod²⁶ vocatur²⁶ antiqui,²⁶ funiculoque²⁷ vili consutum²⁸ accēperunt. *Cath. Wohl* disc. Veresiani Bp.

²⁰ reklámoz = Reklame machen für = faire de la réclame ²¹ körlevél = Rundschreiben = circulaire ²² erkölcsstelen = sittenlos = obscene ²³ boríték = Umschlag = enveloppe ²⁴ bizalmas = vertraulich = confidentiel ²⁵ dollar ²⁶ öszövetségi = alttestamentlich = de l'Ancien Testament ²⁷ madzag = Bindfaden = ficelle ²⁸ összefűz = zusammennähen = brocher

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri IV. (m. Dec.): 1. Naso, acus, suus, ossa. — 2. S, os, vos, avos, navos, gnavos, ignavos. — 3. Impariter. — 4. Cantemus. — 5. Lambo. — 6. Fratres quattuor, sorores autem treserant. — 7. Parva. Audiatur. Duo si. *Ut sementem. Sic itur:* Padas. — 8. Ordo est anima rerum. — 9. Cista, tamen, mensa, sator, torpor, porcus, cuspis, piscis. — 10. Consilium in melius mutare sapientis est. — 11. Quanto maior eris, tanto moderatior esto. — 12. Memoria rerum praefertarum iucunda est. — 13. 1. Tegea, 2. Avete, 3. Aenus, 4. Agnus, 5. Ganea.

Aenigmata recte dissolverunt: **Achatius Laziezius** (*gymn. Archiep.*), G. Reinitz (*Berzsenyianum*), L. Albert, St. Asztalos, **Georgius Barta**, I. Bayer, P. Csányi, I. Csobay, L. Fábry, A. Fodor, A. Fölker, P. Gellért, I. Gross, G. Hajnos, L. Haszmann, P. Horn, E. Jónás, Th. Kaiser, I. Kázmér, I. Kecskeméti, L. Kún, G. Lukácsy, St. Mérő, G. Milch, I. Némethy, T. Nyikos, T. Binder, G. Palotás, **Zoltanus Papp**, E. Parádi, St. Pécsy, Z. Pillis, C. Rákos, L. Reitter, E. Schäffer, P. Sevcsik, I. Szende, I. Simon, P. Szirtes, I. Tantó, St. Thordai, St. Újváry, Eu. Vagyóczki, A. Szatmári (*Eötvösianum*), **Ioannes Márton** (*gymn. IPEA*), St. Karsai (*Ladislainum*), **Vera Várady** (*Margaretheum*), **Eva Nemes** (*Elisabethum*), A. Bernhart (*gymn. Hebr.*) *Buda-pestinenses*. Fratres Horti *Jászberényienses*. I. Szendrei *Makonensis*. Fr. Kreiner *M.-Canissanus*. I. Bertényi (*Cisterc.*) *Quinqueecclesiensis*. Sorores Komlós, I. et **Adelhaida Pintér** (*Ursulanum*) *Scarabantinae*. L. Almássy, B. Kémenes, I. Tallós, **Andreas Zs. Horvát** (*Klauzalianum*)

Szegedinenses. G. Kádár (Yblianum) Alba-Regalensis. Crassae litterae indicant discipulos, quibus praemium a moderatore et ab Societate Mag. Cath. Med. Sch. donatum sorte obvenit.

1. Quadratum magicum.

1	2	3	4						
1				A	C	C	G	1.	Mulier senior.
2				I	I	N	N	2.	Hoc tempore.
3				N	N	S	S	3.	Oblini (inf. pass.).
4				U	U	U	T	4.	Non ignorat, novit.

Zoltanus Babocsay disc. Cisterc. Agriensis (Eger).

2. Acrostichum.

. are	. ilva	. terum	. asa
. vis	. res	. lva	. genus
. osa	. rbs	. inus	. ecte
. anis	. itus	. lassis	. rator
. nda	. ex	. ndex	

Litterae initiales recte inventae oratorem Romanum indicant. Carolina Zöldy disc. Angelani Bp.

3-4. Ad saltum equulei.

si-	fer-	ae-	le	ti-	fa-	po-	per-	re-	tra
gre	ca-	tur,	a-	Fi-	de-	ul-	nil	qui	
Oo-	o	of-	mit-	ci-	tur.	test	dit,	dem	per

Stephanus Ipkovich disc. Ginsiensis (Köszeg).

5-6. A { Tono } usque ad { magum }
Cura } divam. }

TONUS	CURA
MAGUS	DIVA

Singulas semper litteras commuta, dum ex tono magus, ex cura autem diva fiat.

Andreas Bernhart disc. Budapestinensis.

7. Rebus.

Ars, ars, ars, ars, ars, ars, ars,
non servae.

Desiderius Bauer disc. gymn. Archiep. Bp.

8. Ex sententiis.

- non facit philosophum.
- est mater studiorum.
- feceris, ita metes.
- sed vitae discimus.
- felix, multos numerabis amicos.
- silent Musae.
- para bellum.
- brevis est.
- ibi patria.
- decipi, ergo decipiatur.

Expletis his sententiis litterae initiales portum Italiae meridiana indicant. Georgius Kádár disc. Alba-Regianus

9. Ex notis musicis.

Quidquid &

pruden pruden
pi inem.

Catharina Ludwig disc. Angelani Bp.

10. Ad saltum equulei.

	sen-	fi-				o,	ris	
e-	ex-	or.	a-	sed	di	am,	se	sci-
tio	mo.	ri	cru-	id	tas-	Ne-	O-	qui-
	ci-	et	Qua-	et	ci-	re-	for-	
			fa-			re		

Si recte inceperis, distichum Catulli pulchrum accipies. Tiburtius Kelemen disc. Keszthelyiensis.

11. Pyramis duplex.

- 1 Vade! Perge!
- 2 1 Consonans Graeca.
- 2 1 3 Religiosa, casta.
- 4 1 2 3 Margo fluminis lacusque.
- 5 3 2 4 1 Cornutae bestiae domesticae.
- 2 4 1 6 5 3 Pristina, antiqua.
- 5 3 2 1 6 Pater Anchisae (y = i).
- 6 1 5 3 Pugio.
- 6 1 5 Ita, taliter.
- 1 6 Pronomen determinativum.
- 1 Vade! Perge!

Zoltanus Biró disc. gymn. conf. Helv. Bp.

Nota. Lectoribus minimis: 1-6, mediis et maioribus 7-11. — Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.) mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseiket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

Terminus solutionum: Calendae Apriles.

Epistolia officialia.

Corrigenda numeri 5. (m. Ian.): pag. 40: pro «Gebhardt» lege: Bernhart. — Eva Nemes. IUVENTUS non habet praesidem, sed moderatorem. Nomina moderatorum pristinorum invenies in «Commentariis de 25 annis IUVENTUTIS» (Emlékkönyv). Hunc librum iam accepisti. Praesides Societatis Mag. Cath. M. Sch. ante Andream Zibolen erant: J. Kispartii, St. Acsay, E. Bitter, etc. Sed IUVENTUTEM possessores tantum a. 1928 societati nostrae tradiderunt. — A. Bernhardt. Aenigma «paruit» mendosissime dictum est pro: peperit. Recte tamen dices: aenigma facere, excogitare, proponere. — Mense Ianuario 25 socii et discipuli 18 opuscula varia, 14 aenigmata, 13 carmina et multa ioca ad me miserunt, quorum optima ordine edentur. — Fr. Lóránt. Iocosa tua verbis italicis mixta mense Martio edita leges. — Narratio Mauriti Jókai, quae inscribitur: «De duabus salicibus Enyediensibus (= A nagyenyedi két fűzfa), latine reddita in libello eleganti, imaginibus, annotationibus et vocabulario instructa ab interprete huius libri, Ladislao Juhász doctore (Szeged, Horthy-kollégium) venditur. Pretium 1.60 pengoe. Numerus chartulae nummariae (chèque) postalis: 12685. Novem exemplaribus decimum gratis additur. — E. Kiss: Carmen ad Horatium proxime edetur.